

TRIVMPHVS

ANIMORVM,

SVB VICTRICI FASCIA,
SACRVM VAVELI FASTIGIVM
CORONANTE,

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. IOANNI
MAŁACHOWSKI,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCI SEVERIÆ,

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis
CANCELLARIO FAVENTISSIMO,

D V M

Inter solennes publicæ lætitiæ apparatus,

SEDEM SVAM EPISCOPALEM,

Auspicatò primùm ingrederetur,

Maximo gratulantium affectu

EXHIBITVS;

et A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopols:
in eadem Alma Vniuersitate Cracouiensi

Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Poëseos Professore,

Panegyrico applausu luci publicæ

CONSECRATVS.

Anno Salutis 1681. Die 27. Mensis Septembris.

CRACOVIAE, Typis VNIVERSITATIS. Impensis Novodvorfcianis.

In Gentilitium Insigne
ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI
PRÆSVLIS, AC PRINCIPIS.



Vaeleos mitrata subit dum Fascia colles,
Dumq̄, capit niueo, maxima vota sinu;
Ad cor Præsuleum, sacriq̄, negotia plausus,
Nexibus illa sacris, omnia corda rapit.
Hoc animi nexu, iam PRÆSVL Magne triumphas,
Dulcia quando Tibi vincula, necit amor.
Omnia cum vincas, cum pectora cuncta triumphas,
Ipsa triumphalis Vitta, corona Tibi est.

TRIVMPHVS
ANIMORVM,
SVB CORONAMENTO FASCIAE,
Gentilitium Magni Præsulis Insigne,
Ex Illustrissima Nalœciana Domo

PRÆFERENTIS,



Magnitudo Lætitiæ,
Sæpè ingenia torrente voluptatis cum rapiat,
constare sibi, & ex destinato componi non patitur;
inter suauissimos raptus hoc agens;

Ut nescia sui tollantur facilius, quàm si velis, remisq̄, contendissent.

*Expedit aliquando deferrì potius,
quàm incedere velle, dum tripudium animi instat;*

Ut non omninò Censorina vestigia figas.

Dare quippè mentem, in vim publicæ lætitiæ,
non est impotentia animi, aut sine regimine affectus;
sed dulcis quædam sui relictio,
& donata bono publico voluntas.

Iuère post Amphionem saxa,
post Threijcium Vatem robora, & syluæ;
quin & Cerberus ipse manibus plausit, vt Eurydicem non teneret.

Quis hic animum, ingeniumue teneat?

quis temperiem seruet?

vbi modus lætantium maximus, sine modo:
vbi sincerissimum, puri, & aperti pectoris gaudium est;
quod inter hilaria sua odit scrupulos,
festis triumphalibus inimicos.

*Cum hoc Animorum Triumpho,
occurrimus Tibi*

MAGNE ANTISTES;

dum augustam Regni, & Cathedræ Tuæ Episcopalis,
auspicatò primùm ingrederis Sedem;

A 2

inter

inter manubias Tuas, & spolia recensens;
quos Fasciæ Tuæ illicio, an delitio, feliciter vicisti.

Vauelanum Capitolium Tuum,
Sacra Tibi fastigia dum inclinat;
*miratur sine nodo, sine vinculo teneri,
tot simul corda, tot agmina;
qua amore Tui viceras ante, quam venisses.*

Expectatio nostra,
diu Te quidem sub cortina tenuit;
prodibas tamen, ex arcano illo; cum omnium votis destinareris;
& transparebas per candidissimam Fasciam Tuam,

*quisitus oculo mentis,
cum adhuc in mente Principis esses.*

Mirum de Te, ô PRÆSVL!
quod ante oracula pro Te augusta;
iam Delphos habueris, & responsa,
diuinatione amoris publici, & propè decreto;
ceu cor Principis omnibus respondisset.

*Damus proinde victas manus, Fasciæ Tuæ vinculo;
quod ex corde victoriosissimi Principis venit;
ut augustius Tibi omnia trahat,
in publica letitia*

Triumphum.

iamq; Sacra hæc triumphalia Tua sequimur,
ductu illo, passuq; quem niueus animi Tui candor,
iam olim lilijs coronauit.

*Hoc verò arcanum Fasciæ Tuæ,
qua à Regibus descendens,
voluit Te Regiâ duxisse viâ,
ad hoc diadema Pontificale;*

quo supra Regale Cleri Sacerdotium, Episcopus fulges.
Sacra hæc omninò Vittæ,
non ex Alexandri profano, aut Tygranis barbaro vertice,
in beatos capitis Præsulei concessit nexus;
sed ex ipso Christiani ritus sacrario,
ad vsq; primitias fidei in Miecyslao, Boleslaoq;
vocatis à DEO Principibus pertinens,

CHRIST

CHRISTI Regalia sapit.

Habeant multi leones suos, ex Nemæa syluâ;
apros ex Erymantho, dracones ab Epidaurio serpente,
aquilas ex Ganymedis raptu, soleas ex Bellerophontis Pegaso,
hastam & Ægidem Mineræ, falcem Saturno eripiant;
vt cum Deunculis genus exæquent,
& xui profundo immergant.

Illustrissima Naleciana Domus,

armarium hoc profanæ vetustatis, non exarmat;
non secula gentium, nec superstitiosa excutit monstra;
vt in leonum exuijs triumphet;

*Satis origine diuinâ, satis augustâ;
quia è fonte baptismatis Christianâ.*

Ab hac inuentione Regius verè Sanguis,
quia Filij altissimi omnes,
suscepere in magni Sanguinis, nataliumq; decus;
quod in fidei professione, ceu nouo renatos sanguine præcinxit;
maius omnibus,

*quàm in coronis Regum apparuit unquam,
Christiana Fascia coronamentum.*

Felices istæ diuini partus Fasciæ,
ad sanctiorem Lucinam, coeliq; genialia spectant.

*Nasci quippè non profuisset,
nisi renatis per fidem, nouas gratia cunas,
& Fascias prouidisset.*

Pietatis ergo hoc insigne,
ipsa promouit, quæ fecerat;
& in CHRISTI vinculo, quod pro DEO non erubuerunt,
libertatis Polonæ fecit Principes,
animorum motrices intelligentias, Ecclesiæ, & Senatûs oracula.

N A L E C I O S.

Delatæ Pontificiæ Tyaræ, Senatoriæ curules,
Regni Sigilla, Magistratum trabæ, Ducum mitrae,
Samotulijs, Ostrorogijs, Gembicijs,
Sbascijs, Tulibouijs,

B

& qui-

& quibuscunq; intra Orbem NAPECIANÆ Fasciæ,
illustria nomina clarent;

testatæ sunt,
capita DEO obligata, & vinciri pro eo amantia,
gloriâ quoque, & honore coronari ab eo amantiùs.

Ad hanc NAPECIORVM gloriam,

Tuus quoq; Patritius Sanguis

MAGNE ANTISTES, & PRINCEPS,

*antiquæ nexum Originis,
& tot Profapiarum consanguinea vincula refert.*

Nasci TE sub hac pietatis cortina oportuit,
ANTISTITEM loco huic destinatum;
in quo magnificentia Domûs Domini, & opus eius,
verè basilicum, verè augustum,
pietatis Regiam fecit.

Spectatur in ea, ex NAPECIORVM stirpe,

Magni olim Præfulis PETRI GEMBICII,

Antecessoris TVI,

*signandum gemmis omnibus nomen;
in quo dulce experimentum præcessit;
quàm fuerit Sponsæ suæ, verè gemmea hac vitta;
& quantum seculis omnibus, gratæ mentis imposuerit vinculum;
quòd cum venissent gentes in hereditatem Domini,
misissentq; manum ad omnia desiderabilia eius;
magnificentior tamen per eam, pietatis hæc Regia,
etiam post Suecicos raptus triumphet.*

Filia Ston,

*ab Hierusalem tum in Iericho descendens,
spoliata à sicarijs, plagisq; impositis semiuina relicta,
invenit Fasciam;*

qua vulnera eius obligaret,

& redderet vitam;

*cumq; surrexisset rursus in animam viuentem,
curavit profuso in eius sacra decora auro;*

ut fieret

pulchritudo, & decor indumentum eius.

Quidni

Quidni ergo

dulce hoc vinculum ambiat,

Sponsa Tua ò PRÆSVL!

in quo rursus triumphalia sua cogitat;
cum sacer hic nexus, ex Illustrissima NAPECIANA Domo,
Tiaram Tuam Pontificalem ambit;
qui sæua omnia post hostes cum vicisset;
ferrei seculi rubigine detersâ,

jure aureus passim, in trophæis munificentia NAPECIANÆ coruscet.

Nimirum genius hic NAPECIORVM ab illo Spiritu venit,

qui supra Baptismales cum ferebatur aquas,

Vittâ hac Regis Regum filios adoptivos præcingens,

iam eos in Ecclesia Sponsos consecrabit;

ut non paterentur unquam Antistites NAPECII,

Sponsam suam Regi Regum assistere,

nisi in vestitu deaurato.

Fiducia hæc, ex auito splendore natalium Tuorum

ò PRINCEPS!

dilatat cor Sponsæ Tuæ, & in secula pandit;

quæ se in ævum antèius dulci recordatione transferens,

dum illustria Maiorum Tuorum nomina cogitat;

tot honorum, tot seculorum orbes,

in vna Fascia nectit.

Circus hic sanè maximus,

non circumscripsit Sanguinis Tui gloriam, sed extendit;

theatrumq; intra Fasciam Orbi Polono dedit;

in quo, tot præcella nomina antecessere;

ut Tu prodires omnium

Celsissimus.

Iam intra Orbem beatæ æternitatis,

meritorum Fascia claudit,

Nicolaum MALACHOWSKI Dapiferû Lancien:

iam supra curules humanas, Senaculum cœli meruit,

Nicolaus MALACHOWSKI Castell: Spicimirien:

Vir summi nominis;

& qui cum omnia pulcherrima egisset,

in thalamis etiam datus est pulchriori.

B 2

Nimi-

Nimirum SOPHIA,
IOANNIS HERBVRT Castell: Belzen:

Bellatoris maximi Filia,
etiam inter gladios HERBVRTANOS, non in viride;
sed in pomum illi aureum cessit;
non prohibente ferro, quin venirent tam pretiosæ manubiæ,
in aureas manus.

iam & ALEXANDER Vexillifer Siradien:

eò Signa intulit;

quò Macedonis ausus non affurrexit.

Sic & Stephanum, Iacobum, Martinum, Stanislaum,

MALACHOVIOS,

probatas inter tot ardua rerum discrimina,

amor Patriæ fecit immortales;

quorum inscripta cælo nomina,

in Te quoque ô PRÆSVL legimus;

nectimusq; per tot secula, per tot Profapias

Sanguini Tuo iunctas,

in coronamentum gloriæ Fasciam Tuam,

etiam consanguineis TARNOVIORVM Rosis

coronatas.

ex cuius ad hanc vsque diem continuata,

immortalium nominum serie,

gratulatur sibi Sponsa Tua;

quòd tanti Sanguinis, tantiq; meritæ

Sponsus illi venias;

in quo nostris etiam temporibus,

non oblitus est Dominus pectoralis Fasciæ suæ;

quia

in pectore Domini recubuit

IOANNES.



TRI-

TRIVMPHVS

ANIMORVM,

SVB FASCIA,

Augustæ Regum Maiestati, & Reipublicæ

DILECTA.



On sanguineos Fasciæ Tuæ nexus,

MAGNE ANTISTES,

Sequitur maximum ex Te ipso vinculum;

quò potuisti trahere, in amorem Tui, & pretium,

etiã adoratas gentibus trabeas, & nò vnus maiestatis còscios Fasces.

Mille artificijs id agitur,

& sæpè vsq; ad illicita, & Claudios olentia ferimur;

ut ire nobis in animos Principum liceat.

Viam hic Regiam quotus tenuit!

quotus cuniculos, si succelsère neglexit!

quãdo iam nò Marti tantũ, maius periculum à dolabra, quàm ense;

sed mentibus quoque ex occulto suffodi vsitatius.

Decennium Græcis, bello aperto, Iliadem Homeri non fecisset;

nisi totus ex occulto venisset, in vno Sinonis equo triumphus.

Ita multi ad Pergama Regum veniunt;

quos nemo venire aduertit, nisi cum iam fastigia tenent,

& cum Pyrrho Achillis in Priamo morantur.

Mirum est, etiam in Palatijs, teredines esse,

vbi marmora rigent;

& in summa libertate, dari vincula, amariq;e;

quæ non Macedo sæpè imposuit, sed Narcissus.

Augustam Regum fortunam, & mentem,

vicisti quidem ô PRÆSVL!

sed lenissimo Fasciæ Tuæ nexu;

& quod caput est, sincerissimã in Principem, & Rempub: fide;

illoq; tantum vno illicio, quod ex NAFECIIS Tibi natiuum est,

Stringere sine nodo.

C

A natu-

A natura, & indole, multa Tibi egregia cum venissent;
lapidem omnibus angularem posuit,
res non huius seculi candor.

Bonum hoc innocens quidem,
sed æquè ut virtus, post nummos æstimari solitum,
patrimonium est vulgò Fabricij, aut Serrani;
quoties rura paterna colit, aut in vomere prandet.
*iam quippè rusticitas, aut ex Damœta mapalibus stiria est;
si veri limpidum, & ebur, candida loquantur responsa.*
*Elegantibus scilicet Viris, & ad publica natis,
quid prodest sinceritatis hoc propatulum?*
quando illi, sub cortina non nisi sua Venerabiles, imò Phœbi sunt.
Diaphanum Tu cordis, & oris cum eo consensum,
ad negotia publica, quo successu tuleris;
gemmæ in Tiara docent.

Ostendit Te priuatum vitæ genus, ut gemmam;
sed aliquando in annulis Principum, & inter cordis monilia gestandâ.
quia sine fucò, sine admisto colore,
puram, & illimem,
& ad cuius augendû pretiû, nulla adhuc laborauerat gemmarij manus;
*Cultus animi siue ex literis,
siue ex prudentia norma,
in tantum à Te quasitus, admissusq;*
quantum illi cum rectitudine mentis consortij,
& procul à conscientia nauo;
ne fortè nimis exasciatus, desineret in crustam.
Hoc in Te,

vetus ille animorum Cato,
IOANNES TARNOVIUS,

Archiepiscopus Leopoliensis,
ut candidè dilexit, ita eo loco dignum censuit;
in quem Te nunc Triumphus animorum sublimat.

Anima illa æquè sancta,
ut & prisci moris, sensûsq; candidi tenax,
nihil molestius tulit;
quàm antra illa, & delubra cogitantium,
semper in recessu, rarò tamen cum Dijs;

à qui-

à quibus elongantur, quamuis lucos adeant.
quia ipsi etiam Numa, non semper cum Egeria sermo.

Explicata mens, sed non effusa;
frons hilaris, sed non deterfa;
cor apertum, sed non ebulliens,
placuit TARNOVIO; prout intus fuerat & ipse,
ab aureo æuo compositus;
ipso etiam aspectu præstigias mentium fugans,
poscensq; & à se requiri, & mutuò sibi concedi,
ex magni Poëtæ præscripto;
quod alternus amor, quod simplex gratia donat.
Grandæua ergo prudentiâ,
sed bono publico fidâ,
æstimauit in Te probum animum, & illibatum pectus,
agendorum dexteritate, & insigni prudentiâ fultum;
quod sine ambitu, transiret facilè ad augusta.

*Maieitati Principum,
Curiales ad gustum, qui insinuant;
viderint, etiam dulcia in bilem proniora,
nihilq; propius nausea,
quàm continuum à Ganymede nectar.*
Melimela hæc sapiunt hucusque,
donec bellarijs opus;
in reliquo fastidium, & auersio;
quia subit tandem verecundia, à tam proiectis,
& ex vero nihil admittentibus teneri.
*Optima est, etiam in gratiosis temperies;
nec quicquam Principi salubrius;
quàm habere oportunos gratia, sed non mancipatos placitis;
de quibus desperes, posse eos aliquando,
ex animi sententia loqui, & cum vero in gratiam redire.*

Animum Tu certè ô PRÆSVL!
ad maiestatem illam verè augustam,
& tanto Sanguine Regum trabeatam,
Serenissimi olim
IOANNIS CASIMIRI Regis Poloniae,
adtuleras mirabili temperie felicem;

C 2

in quo,

in quo, gratiæ Principis locus non defuerat;
sed non ita, vt vero, iustoq; deesset.

Rex ille,
Sedis Apostolicæ oraculo, verè Orthodoxus,
quamuis politiæ summâ;
oderat tamen pseudoelegantiâ illam;
quæ in extremis ponit, peccare in conscientiam,
si non peccet in statum.

*Cymbalum hoc, & æs tinniens;
quod remorsus inter nos obtundit, ne dictamine recti contraveniant;
malè tandem respondet apud bonos Principes,
& cum sonitu perit.*

*Securior ille, qui Principum negotia,
cum DEO communicat;
nec aurem à vero, vt aspis ab incantantibus auertit.*

Tribuit hoc prudentiæ Tuæ,
& simul bonæ menti,

Iagellonia illa maiestas;

quæ Te fidum, serium, constantem,
& innocenti obsequio toties perfunctum,
cùm in Regia sua probasset,
etiam Republicæ ostendit.

Secuta est,
vt throni, ita & iudicij Regalis consortium,
satis ipsa ad clypeum,

Serenissima olim LVDOVICA

Regina Poloniæ,

imò Reginarum Heroïna, Heroïnarum Regina;
quæ animum induta virilem,
sexumq; in virtutem transferens;
sequioribus ad delicatulas relegatis, assumpsit
mentis robora in seipsam.

*Connubia certè Martis, non Adonidis,
apud bellicosam gentem elegit;*

*vtroq; Rege marito, crebrius Papiliones,
& durum in castris cespitem poscente;*

quàm

quàm conopaum, & thalami cortinas.

*Nunquam illa baltheum Achilli suo extorsit,
nec exarmauit Alcidam;*

*partita discrimen omne, & animo supereminens;
cùm Iouem suum nunquam libentius audiret;*

quàm cõtra Moschos, Vandalos, Hunnos, Bistonas, Gelonos tonantè.

Fragor ille coniurati in nos,

Orientis, Septemtrionis, & Austri,

si incidisset in mentem angustam;

formido Regiæ Maritiæ, etiam apud Hectoras augustos,
ingentia pectorum confudisset.

Sed LVDOVICA, terreri non potuit;

quæ nubere voluit, præesse, & interesse pugnacissimis;
vt non ex Solio tantum, sed ex animo quoque
verè censeretur Augusta.

Immota periculis, Camillasq; pro Regno æmulata,
magnitudinem animi, prudentiæ incomparabili iunxit;
dictis, responsis, gestis, consilijs,
penetratione animorum, electione ad ministeria Statûs,
lydio lapide exactior;

eademq; DEO, per conscientiæ puritatem vnita,
visceribus misericordiæ plena;

qualem omninò decuit esse,

Diuis in visceratum Sanguinem

GONZAGARVM.

Ab hac Poloniæ, & animorum Regina,
curæ maiestatis, & transfusa in Te gerendorum perplexa,
æquè capacem, vt & incorruptæ fidei plenum
inuenere.

Quicquid Tibi commissum in magnis Iudicijs,
in Principum arcanis, in officijs Delegationum,
in disquisitione administrantium;
cognitum id à Te, prudentiâ, & inuestigatione felici;
relatumq; ex summa fide,
& animi integritate;

*selectissimæ virtuti gradum fecit ad publica;
vt merueris tandem, voto publico desiderari,*

D

& ex

Ex Principis renuntiari sententia,

Referendarius Regni.

Venere huc Tecum probatissima omnia,

comi, faciliq; animo temperata,

& leuamini supplicantium maximo;

cum haberent, qui suspiria eorum, & characteres doloris,

corde pro ijs gemebundo, Principi referret.

Fasciam proculdubio Lysimachi vulneribus obligandis,

Sarmaticus dederat Alexander;

cum in Te Referendario & priuatorum, & Reipub: vulnera,

suauissimè obligauit,

sanauitq; non vno remedij genere;

cum tempora illa intus, forisq; in mille cuspides incurrentia,

non vni vulnere patuissent.

donec posita maiestas, & spontaneæ post Solij fulgura umbra,

postquam xui sui miraculum fecissent,

aliud quoque Electionis miraculum traxere;

in quo libertas Polona, cum vicisset seipsam,

coronam in sanguine patritio accepit.

Stupor ille,

in Serenissimo olim MICHAELE

Rege Poloniae,

& mox scæna, grauisq; collisio,

poscebat integritatem animi, fidemq; eximiam;

cum intra palatium quoque, non omnes Euryali essent;

impulsuq; vario, etiam Achates ipsi, inter refluxus illos agerentur.

In illo lubrico, an euripo?

seruata est à Te Principi, & Reipub: constans animi Tui fides,

commodata Fascia ad animorum nexus,

exhaustæ curæ ingentes, suscepta discrimina;

inter motus ciuiles, & novos prope in toga Philippicos campos,

actum per Te summâ prudentiâ, dexteritate, partiû reconciliatione;

vt contra fulmen, & horribilem procellam ab Oriente,

domi saltem malacia esset.

Conticinium hoc parabatur cœlitus,

Serenissimo IOANNI III.

vt latiùs in Orbe, Chocimensis eius victoria,
compositis omnium animis, & triumphatis hostibus
personaret.

Maior Epaminondâ Princeps,

seruato Clypeo, Poloniâ defensâ,

triumphalibus Patria superstes;

non in obelisco, aut Pyramide, onerosam lapidum struem;

sed Trophæum in corona Regni meruit.

Sceptrorum eius gloria, & felicitas,

in diuiduum fortunæ Tuæ coronamentum;

cum in oculos Maiestatis facile incurrisses;

qui pridem cordi hæseras.

Gratulatus est, Serenissimus IOANNES

virtuti Tuæ;

quod gratias illi hucusque distulisset, arcana series ab alto;

donec Gratia in Solio Regni coronata,

haberet abundè, quo coronaret IOANNEM.

Ita postquam è Culmensi Sede assurrexisset,

quò celsius in Patria non potuit,

culmen ipse selectarum mentium, Primasq; ingeniorû, & Princeps,

Illustrissimus olim, & Reuerendissimus

ANDREAS OLSZOWSKI,

Archiepiscopus Gnesnensis;

dedit locum,

Serenissimi IOANNIS

iudicio de Te, & beneficio;

vt in culmine illo Tiaratam eius gratiam testareris

Episcopus, & Senator.

Ad hoc Pontificium decus, & Senatoriam curulem,

diu exercitato animo,

Areopagum Ecclesia, & Reipublica adijsti,

pro causa DEI, & iustitia,

zelo, & constantiâ armatus,

providus consilijs, verax sententiâ, bono publico amicus,

D 2

pro

*pro iuribus patrijs intrepidus,
seruatusq; in corde Principis ad id;
ut qui gestabas,
vinculo amoris voluntates omnium;
gestares quoq; cor Patria in Fascia,
& Regni Sigillum.*

Reuelauit hanc Principis mentem,
maxima Grodnæ Comitiorum facies;
ubi os, & caput aureum,

Celsissimi Principis, STEPHANI WYDZGA,

Magno Regni Sigillo posito,
cùm Mitra Primatialis coronasset;

Illustrissimo IOANNE WIELOPOLSCIO,
ad augustum Cancellarij munus, & Sanguinis Regij vinculu euecto;

Tu studia, & destinationes variè agittas,
in vno Fasciæ Tuæ nexu, quem iam olim Princeps concluderat,

Procancellarius Regni

vicisti, & absoluiti.

*Nec mirum, quod Aquila Polona,
in manibus IOANNIS Procancellarij lubens hæserit;*


*semper enim Aquila IOANNES,
fide illibatâ, & oculo mentis irretorto,
& Solem iustitiæ intueri solitus,*

Solium Regis.



TRI-

TRIVMPHVS ANIMORVM, SVB FASCIA, Ecclesiam DEI, Pontificijs virtutibus, & meritis CORONANTE.

 Ed iam ad triumphalia Sponsæ,
solenni eius gaudio rapimur paranympo.
Plausus humani, & hilaria mentium,
sæpè cum respectu, sæpius cum remorsu.

*Iubilum, quod Spiritu DEI agitur;
quod cordis, & oris harmonia promit,
purissimum bonæ mentis delitium est.*

Cathedræ suæ ANTISTES
quàm carus, quàm desideratus veniat?

Sponsam interroga.
nullius magis interest, quàm Ecclesiæ DEI,
gaudia sua nosse.

*Videris illam decorâ facie,
sine ruga, sine macula,
cum roseis genis, cum gemmeo ex oculis letitiæ rore,
protendentem manus ad Fasciam;
quâ vinciri cum Sponso suo, satis amanti,
& victoriæ satis.*

Nulla illi certè dies lætior, ô Magne ANTISTES!
quam hæc genialium dierum gemmula;
quæ plusquam integro sæculo, Sponsum expectatum IOANNEM,

Gratiarum sinu excipit;
amore publico, sæculi moras compensante;
& bonitate animi Tui sufficiente;
vt horis ex Te suauissimis, apud Tui amantes,
sæculum exæques.

ANTISTITEM quippè excipimus;

E

quem

quem cum adhuc gratia pareret,
iam Sponse Tue cor, exultavit præ gaudio;
& congratulabantur ei vicini eius;
quod non alium illi peperisset, nisi IOANNEM.

Rem quippe nominis Tui, quantum impleueris,
ubiq; Tecum Gratia loquuntur,

& quidem illæ;
quas non compositus in speciem dulcor,
sed genuit virtus.

Habent quidem Lucinam suam,
etiam profana gratia;
nascunturq; ex animo, sed blanditijs grauidos;
qui tamen partus non succedit, ubi veritas regnat.

Nutritij assentationum,
qui placencia semper depereunt;
laruas gratiarum, & impura hæc nomina alunt;
donec palpones illis pro nutrimento rependant,
quod nucleo vermes.

Gratia, præsertim in Regali Sacerdotio,
& genus caeleste, & indoles diuina esse debet;
quæ non idèo grata, quod placeat;
sed grata esse debet, etiam non placendo.

Non sit Pulcheria, modò sit Augusta.

Non sit Abisag, modò foueat spiritum;
quantumuis lac, & mel, sub lingua eius non sit;
quantumuis labia eius distillent myrrham primam;
dabit osculum veritas, etiam labijs sic myrrhatis;
quia gustum anime non corrumpunt.

Dos hæc, & indoles verè caelestis,
secuta est gratiam Tuam,

in Pontificio munere;
cum Te Culmensis, & Pomesaniae Tiara,
Sacrorum in ijs partibus Principem fecisset.

Venisti quidem cum Charitibus Tuis,
ad Sedem illam Magnis Antecessoribus felicem,
plenus gratia, sed & veritate;
indutus animo Patrem, vigilantia Pastorem,

zelo

zelo Heroem, regimine Antistitem;
ut prodires vita, & disciplina,
in speculum, & exemplar.

Quile illud vicinum lupis,
munimento Tuo, ut securius redderes;
auxisti custodiam, imò & custodiae fontem,
ne sacra vnquam deficerent excubiæ reserasti.

Ubi messis multa, sed operarij pauci,
seminasti operarios aurea manu;
& ecce iam veniunt, cum exultatione portantes manipulos suos,
ex animarum aurea messe.

Diuinum hoc inuentum,
seminare granum electum, contra zizania;
& providere Ecclesie DEI;
ut eam semper fecunditas sua coronet,
Matrem filiorum latantem.

Curæ omnium beatissimæ, huc impensæ.
aurum totâ Indiâ felicius huc erogatum.

Quicquid vnquam egere opes,
ut seminarent gloriam;
decoxerunt potius, quam tenuere intentum;

spe euanidâ, & iustè elusâ,
cum in sabulo tumoris proiecissent.
Supra terram Sacerdotalem, auri talenta spargere;

sementis non periturae gloriae,
sementis caelo digna.
dabitq; culmos verè aureos, in horrea Domini paratos,
& in coronam ab aureo euo PRÆSVLIS,

Cleri Seminarium Culmense.
Dentatam apud Colchos sementem,
secuta est quondam prodigio fabularum, priscoq; commento,
cataphracta Heroum messis.

Tu verius
OMAGNE ANTISTES!

Castra DEI Sabaoth, contra dentatam hæresim,
beneficâ manu seminasti.

Prodeunt hinc, in pralia Domini fortes Israël,

E 2

qui

qui in valle terebinthi, non unum Goliath Philistaeum tollunt;
& adhuc gladij ancipites in manibus eorum,
triumphalia spirant.

Hoc nimirum à zelo Tuo, quo ipse vreris;
quoties DEI, & Ecclesiae negotium vindicias poscit.
iam id, non solâ tantum hæresi agente;
vt custos qui de die, custos qui de nocte;
excubitor contra eam Magnorum Antistitum spiritus sit;
sed prophano quoque spiritu eorum;
qui intra Ecclesiam professione fidei, animo foris sunt;
de quibus Sponsa DEI iure queritur;
Filijs Matris mea, pugnaverunt contra me,
mittentes lignum in panem Ecclesiae;
quo dissenti, & incrassati, Spiritui Sancto resistunt.
Castrorum hæc acies, sed non ordinata;
quia ordinationi diuinæ contraueniens;
nonne zelum ardentem Prælatorum Ecclesiae,
& Exercituum Domini,
Semnaria poscit?
Stetisti certè contra huiusmodi impulsus,
animo Heroico, & sanctâ fortitudine armato;
sive quoties intra Tribunal Regni,
vis hæc praua, contra Regale Sacerdotium insurrexit;
sive in Comitijs, capita & censum Ecclesiastici Ordinis,
prophanare tentauit;
sive supra vestem inconstabilem hereditatis Domini,
non humanum illud, Scindamus eam,
pro tessera dedit.
Contra hæc, filiorum quidem lucis,
sed tenebrarum opera,
iuristi palam, & aperte Heros pro DEO,
arma lucis indutus;
ostendistiq; animum, qualem coruscare,
non tam gemmis, quam iustis pro DEO, & Ecclesia fulgoribus,
in Tiara decet.
Olympiadem hanc Tuam, in Culmensi Sede exactam,
ex voto Ecclesiae coronarunt omnia;

quibus

quibus in Te,
CLEMENS olim X. Pontifex Max.

ex Vaticano fastigio benedixit;
cum Te in Ciuitatem munitam, & in murum aheneum,
pro Domo Domini poneret;
vt cresceret in culmine illo virtus, & dignitas Tua,
vsque ad fastigium Vauclanum.
Iam quippe tollebat alio,
trophæis, & palmis, pro DEO, & Sponsa eius onustus,
magnus ille Ecclesiae zelator,

Antecessor Tuus,
ANDREAS TRZEBICKI,

Episcopus Cracouiensis;
vt in vestigijs suis, sacro adhuc feruore calentibus,
viuacissimo spiritui Tuo relinqueret locum.
Extrema illa dies, quæ eum inter primitias Martyrum
cælo intulit;

natalis fuerat honoris Tui;
cui in arcano rerum Cælestium, quod diu tenebatur,
decretum fuisset;

die Innocentium, contra Ascalonitas;
qui primitias reddituum Ecclesie innocentes oppugnant;
emeritam in TRZEBICIO cælis inferri;
nouam in terris gratiam, & fortitudinem,
in MALACHOVIO nasci.

Virilis profectò animi, & nominis,
Episcopus ANDREAS,
cum eò transiret, quò in spiritu semper ferebatur;
petijt Ouli suo Pastorem,
non timentem à facie eorum;
qui agnos induti, contra Pastores Ecclesie,
lupis nocentiùs hostilia agunt.
Grandis hæc proinde cogitatio,
augustam Principis mentem iure tenuit;
vt non sorte oblatum, nec fortunæ datus arbitrio,
aut præter vota irrumpens;

F

sed

sed maturo iudicio delectus, æternitatem saperet

Antistes ille;

de quo in pugillaribus cordis augusti,
diu stylo cœlesti, Zachariæ illud scribebatur;

IOANNES est Nomen eius.

Non licuit hoc nomen,

post **SIGISMUNDVM I. Regem Poloniae,**

Regum Europæ ocellum;

nisi

Serenissimo IOANNI III.

Martis Poloni delitio,

pro Cathedra Cracouiensi nominare;

ceu nonnisi ex interuallo temporum Gratiae huiusmodi,
seculis nascerentur, vt Phœnices:

nec post **IOANNEM CHOIENIVM,**

Gemmam Præfulum,

sed breui cœlo insertam;

eiusdem nominis, & summi ex virtute pretij

inueniri potuerit;

nisi post quindecim Antistitum Cracouiensium Tiaras,

seruata in Fascia vinculo

GEMMA.

Sed hac arcana cœli,

sint in æterno signaculo suo;

nos in Te,

Celsissime PRÆSVL, & PRINCEPS,

gratiam destinationis ex alto diuinæ,

profundè, & dulciter exosculamur;

procedimusq; sub Fasciæ coronamento, felices vincti Tui,

solo amore triumphati;

habituriq; Pontificem,

in quo

decem eiusdem nominis Antecessorum,

Episcoporum Cracouiensium,

gratias,

gratias, virtutes, panegyres, coronas

vnâ Fasciâ concludit.

Suauissima hæc nomina, in Te vno conclusa,

quidni thymiama Diuinum,

es gratas animorum redoleant delicias?

quando vel in solo

IOANNE GROTHO Episcopo Cracou.

eximiae virtutis Antecessore Tuo;

cui stolam gloriæ suæ,

Pallium nempè

à BENEDICTO XII. Pontifice Max.

impetratum,

priscae Archiepiscopalis dignitatis mansurum pignus,

Sponsæ Tuæ gratia debet;

post centum septuaginta quinque annos translata,

integerrimi corporis exuuiæ,

prodigiosè dederunt odorem suauitatis.

Violas illi,

post funera, dulces spirarunt Ethesiæ;

quidni Tibi coronatum violis,

animorum ver amœnissimum,

mille fragrantias spiret?

PRÆSVLI, & PRINCIPIS;

cuius triumphalem ingressum,

vel ipse sanctissimus Antecessor,

D. STANISLAVS Pontifex, & Martyr,

rosis innocenti sanguine purpuratis

coronat;

cui

post **OBORSCIANA** suauissimæ administrationis Lilia,

tota in Lilijs, tota in vestitu deaurato triumphans,

Regiæ Metropolis, & Cathedræ Tuæ,

Sponsa occurrit,

Peraugusti Capituli Cracouiensis

diademate triplici coronata.

F 2

Dilecta

Dilecta ternioni huic coronarum,
etiam in PETRO GEMBICIO Fascia,
gemmas eius æternum vincijt, & coronam ex ijs meruit;
Tibi quoque ô Magne ANTISTES paratam;
quia cum vinculo Gratiarum,
ad coronandum hunc Tiararum Episcopaliū fontem,
carus, & amabilis venis.

Marmora Tibi, columnas, obeliscos,
publica Ecclesiastici Ordinis lætitia,
in arcus triumphales non attollit;
sufficit gloriæ Tuæ victrix Fascia,
supra cordium arcus triumphales erecta;
*in quam, votorum pro Te coram DEO calentium,
grando gemmea decidit;
ut secula exæques; quibus Te Sponsa
gratiosi nominis Sponsum expectavit IOANNEM;
ut in Diœcesis Tuæ regimine,
vigilantiâ quidem Pastoris, sed bonitate Patris,
ex amore Tui publico,*

*non tam annos numeres, quàm annorum Fascias, & coronas;
optimus utiq; ANTISTES;*

quò
ad Cathedram Cracouiensem præsentare,
corona Tua, & panegyris maxima
Serenissimus IOANNES

Rex noster,
coram

SS. Domino N.

INNOCENTIO XI. Pontifice Max.

augustæ Maiestatis litterâ teste,
etiam voto suo non poterat

MELIOREM.



TRI-

TRIVMPHVS

ANIMORVM,

Inter Viros literatos,

SVB FASCIA,

MVSIS IAGELLONICIS,

In Alma Vniuersitate Cracouiensi

FAVENTISSIMA.

Rumpimus orbatæ diuturna silentia Mitra,
Et viduos Fasces, decreti iure triumph
Tollimus ad palmas, & in æui grande theatrum.
Non licet occursum tantos, gemmamq; dierum
Ereptam populis, animi signare profundo,
Victurisq; negare Cedris; aut soluere dulces
Mentibus impositos à Magno PRÆSVLE nexus.
Fascia si victrix, meruit per vincula cordis,
Augustos vicisse thronos, & publica Regni
Vota, coronatis secum duxisse catenis;
Quis pudor hâc vinci? nec gaudia posse tenere?
Ponèq; ligeros currus, sacrosq; iugales
Ire trophæorum virtutis portio felix.
Gordius hic non est, in Vittâ Principe nodus;
Sed tamen adstringit, nec totâ soluit amantes
Lege triumphorum. sequimur proin, vt Tua PRÆSVL
Gaudia nos capiunt. non est hæc vna voluptas,
Quâ toti rapimur, toti sorbemur ab alto
Lætitia; superestq; nihil, mellita Charybdis
Quod non in scopulos dulces, & amoris in æstum
Urgeat impulsu valido, castasq; fatiget
Delitias animi. quod si nos entheat in Te,
Dum captiuat amor, numeros in carmina cogens;
Vinciat affectus Vatum, sed plectra resoluat.
Sumimus hoc dulcoris ebur, plaususq; togati

G

Vecti-

2
Vestigale melos, victuro concinit æuo
Palladis augustæ genius. Tu principe dextrâ
Annue, qui numeros animas, & barbita PRÆSVL.
Diua coronarum Mater, rerumq; per Orbem
Maiestatis apex cœlo vicinus, & vnus
Post diuina sacer, meritis, & iure triumphans,
Nobile Cœlituum genus, augustissima Virtus,
Omnibus Augustis potior; super Arce Vaueh
Anxia fors, & mœsta diu, Regalibus hæsit
Sarmatiæ visenda tholis. cœlestia vultus
Sidera, Diuinumq; iubar, cortina doloris
Et nubes inducta tegit. diadema pyropis,
Moleq; gemmifera grauidum, cum Perfide tota,
Vertice de summo, sacri velamina pepi,
Regalem byssumq; togæ candentis inumbrant.
Maiestas arcana tamen se fulgure toto
Eripit ex vmbri. ceu cum Thaumantias in se
Nube cauâ radios, refractaq; lumina Phœbi
Multicolore sinu recipit, nec continet intus;
Rorida se donec sudo veniente resoluat
Effigies, pictoq; micans dispareat arcu.
Sic augusta Deæ species, venerabile numen,
Et dignos Superis mœsto sub tegmine vultus,
Luce repercussâ, maiestatisq; verendo
Seruat in arcano. stat circum maximus ordo
Virginei cœtus, illibataq; coronæ
Ætherea de stirpe chorus, delecta sacrarum
Portio virtutum, Regina Curia tantæ.
Illa throno residens, quem purpura sternit, & omne
Fulgur in obryzo latè circumfluit auro,
Internos animi gemitus, sensusq; dolentes,
Alloquio promit querulo, dum talia fatur.
Cor mihi sollicitum, pridem res Lechica torquet,
Transfigitq; meas non vnâ cuspide fibras.
O quam, numen ego dilectæ gentis amicum
Vndique conficior! seu Martem cogito, seu me
Exagitant odijs intus ciuilia pacis

Flamina,

Flamina, conflictusq; graues. vis turbida passim
Regnat, & Heroas mentes assurgere, laudis
Non finit ad palmas. Sauro cum Bistone Mauors,
Infudit gentes Asiæ, Ponti; lacunas,
Et Mussulmanæ foedissima monstra cauernæ,
Roxolanis cheu gladio fundauit in oris!
Immensò Patriæ damno. Sic Moschua vastas
Quas tulit ad Boream terras, tantoq; parata
Sanguine, Lechæi quondam patrimonia Regni,
Quo semel arripuit, nunquam dimittit ab vngue.
Sub Lappone gemit Livo, sub fraude Borussus,
Excussioq; iugo, quem feudi iura requirunt.
Quantula pars concessa mihi? sed quanta negatur?
Cladibus ex tantis, modica quod sorte relictum,
Id quoque distrahitur votis discordibus; & iam
Viscera rumpuntur, regniq; medulla laborat.
Me tamen hoc grauius cruciat, quod maxima quondam
Mentibus eximijs orbata Senacula cernens,
Fulcra rapi videam, sensimq; propinqua ruinae,
Infirmis basibus nutantia pondera tolli.
Quanta mei iactura boni! si Cracidos almae
Pontificale decus, si tantæ Mitra Cathedræ,
Successore vacat, qui magno pectoris alti
Clauditur arcano; cum me dilata fatigent
Gaudia, pallentesq; Mitræ; cui summa voluptas
Exornare Viros, & dispensare coronas.
Crediderim mecum, nec Sponsam PRÆSVLE Sponso
Orbatam lugere minus; dum grande tenetur
Secretum, nec se res exoptata reuelat.
O desiderij gemitus! ô viscera Sponsæ!
Compatior vestris tenerè quàm tota medullis,
Inculoq; moras! vox interrupta loquentem
Interea sistit. species venerabilis vt se,
Intulit attentis obrutibus, & noua Diuæ
Gratia, maiestasq; sacris, quæ fulgurat Aris.
Cracæa Sponsa Dei, mox noscitur. obuia Virtus
Prodit in occursum hilares, trabeamq; relinquit.

G 2

Et ma-

Et magni sublimis throni; quo dignior hospes
Visa. coronatis postquam se mutua dextris,
Complexuq; salus Diuarum iunxit amico.
Vt Solij tenuit culmen, Virtute petente,
Sponsa Tiarati capitis; sed pectore toto
Suspirans, altumq; gemens. celsissima Virtus
Tum prior. o electa Dei, Cælestibus inquit
Imperijs terras, & sacri iura Senatûs,
Diua tenens salue. veneror, complector, & omni
Numinis immensi Sponsam, Te dignor honore.
Sed doleo, tecumq; vices mœroris amicas
Coniungo. nam causa mihi iam nota doloris,
Consensuq; pari similis nos cura fatigat,
Præsule quod careas Sponso. mox Diua subinfert
Cracidos augustæ. rem tangis, & intima cordis,
O dilecta Deo Virtus! indagine veri
Quam sanctè penetras! mœui post sidus Oloris,
Me viduam nox alta premit, nec firmate pullo
Exuor, vt cessere mitræ. iam computo tractus
Sollicitos anni. iam spes, arcanaq; Sponsi
Nomina, me varios cogunt exquirere sensus;
Nulla quies animo. tum Virtus. peruigil inquit
Numinis æterni, sed non dormitat ocellus,
Excubat hic pro Te. licet expectata morentur
Gaudia, Te cordi Diuino crede propinquam,
Iamq; Tibi cœlo solennia festa parantur.
O vtinam succedat! ait mitrata Vauei
Diua, quod æthereo forsan Tu numine plena,
Fatidico Virtus loqueris dignissima sensu.
Hoc mea corda vouent, hoc Vrbs, hoc Regia Pallas.
Nec mora, sceptrigeræ sese præsentia Diuæ,
Opportuna loco, nec tantis dissona rebus,
Regali cultu, doctis ex sedibus infert.
Emeritis numerans plusquam tria secula curis,
Incedit matura gradu, venerabilis æuo,
Cana togatorum Princeps. ex fascibus illam
Nosse coronatis fas est, trabeaq; Sophorum,

Et co-

Et comitum sapiente choro. iam ternio Diuas
Et sacer, & dulcis post oscula cara, datasq;
Associat dextras. noua ponitur ergo curulis,
Sceptrorum Phœbi Dominæ; quæ conscia rerum,
Huc, ait o Diuæ! qui me descendere fecit
Spiritus interior, cœli dictamine credo
Venit; vt in vestri consortia tanta Senatûs
Prodirem, fieretq; mihi commune leuamen
In facie vestra. nam si Tu Sponsa Tiaræ
Inclita Craciacæ, si Tu carissima Virtus,
Rem desiderijs tantis hucusque negatam
Expectas auidè, iustisq; doloribus vrges;
Non mihi causa minor superest, stimulusq; doloris,
Phœbea cum gente Virum; quos Regia laurus,
In Iagelonea Doctorum Sede coronat.
Qui PRÆSVL, Sponsusq; Tibi, lectissima Sponsa;
Regalis Studij mihi Cancellarius idem;
Cui Doctoralis sunt credita iura coronæ,
Incumbitq; rei protectio summa togatæ.
Hic mihi differtur, communibus anxia votis,
Quem peto vobiscum; cui brachia pandit amoris,
Expectatus honos. & quamuis forte sub vmbra
Noscitur hoc nomen, iam gaudia plena meretur.
Cracidos hinc Viduæ Sponsæ mens lætior, inquit;
Regia progenies, Sapientis gloria cœtus,
Pallas amica mihi; nam Cleri fonsq;, Parensq;,
Et nutrix genuina mei; si nomina Sponsi
Grata mihi voueo, si cœlos inde fatigo;
Nec tibi propitium minus hunc, optoq; fauentem;
Quando corona Tui capitis, mea tota corona,
Et decus ex studio tecum. Sed nomina Sponsi
Quis mihi nota dabit? tum Virtus. nominis inquit
Gratia, iam descripta polo, iam proxima mitræ,
Dulcius vt veniat differtur, & vrget amantes.
Sed ventura breui, quod spero. nam dolor ingens

H

Tum

Tum magis accrescit, quando solatia præsto.
Et si me species, si me non fallit imago;
Coelitus est aliquid, quod se pernicious alis
Inferet huc. liquidus radijs nam candicat æther
Cernitis? & fudo veniunt noua gaudia cælo.
Protinus attonitas mentes, & lumina tollunt,
Consurguntq; Deæ; niueus cum præpete pennâ
Labitur ex alto, magniq; palatia Craci
Intrat honos, festiuus honos, & totus eburno
Flore coronatus, gemmis, auroq; coruscans,
Candentem Vittamq; tenens; quam mille sequuntur
Lilia; quam palmæ circum, lauriq; virentes,
More triumphantum, per candida vincula serpunt,
Diua salus, & Pax, & fausti nominis omen
Iungunt se lateri, Charites, & dulcibus Horæ
Felices iunctæ socijs. lætissima tota
Plaudentum Sponso facies. honor ipse triumphans
Vt Diuas conspexit, ait; gratissima cælo
Nomina, delitiæ Superum, mentesq; beatæ,
Ponite curarum seriem, causasq; doloris,
Quæ vos exagitant pariter. cor nectare toto
Diffluet, inq; fauis totam descendat in Hyblam.
Decretus cælo, Tibi quod dulcedine summâ
Nuntio, Sponsus adest, ô Cracia Sponsa IOANNES,
Lectus ab innocuo PRÆSVL MALACHOVIVS æuo.
Sufficit hoc nomen, quod candida Fascia signat;
Fascia carus amor Regum, sacræq; Tiaræ
Delitium, cordisq; Tui pars maxima Virtus,
Et Musis dilecta Tuis, ô Regia Pallas!
Plura locuturum, festiui voce triumphi
Ternio non patitur Diuarum. plausibus omnis
Curia mellifluis, & totus personat æther.
Mens Diuas iucunda rapit, nec verba supersunt
Lætitia: donec mitrati Sponsa Vaueli;
Nuntius es grati, dilecti nominis inquit

Nunti-

Nuntius. & satis est. MALACHOVIVS omnia claudie
Vota mei cordis. nexus mihi Fascia dulcis;
Quo teneor, Sponsq; meo me dedico totam.
Viuat honos, lætetur honos, totusq; triumphet;
Coelitus est per quem res optatissima nobis
Arcano referata sinu. lætissima Virtus,
Viuat, ait, decretus honos, MALACHOVIA viuat
Gloria, tot meritisq; caput prænobile viuat;
In quo, grande mei decus est, & culmen honoris.
Hoc etiam geminat, Studij Regina togati;
Per Cathedras ô Vittæ meas, pulcherrima Vittæ,
Pignus, ait, quam dulce meis, & amabile Musis,
Innocuum signabis ebur, Phœboq; trophæum
Immortale dabis; Tibi qui solennia promer,
Millenumq; canet sacrâ testudine viuat,
Non aliud cytharis Charites, & vocibus vrgent;
Totaq; plaudentum series, in PRÆSVLE tanto
Dilatat suaues animos, & corda moratur:
Donec ad Augusti Diuina palatia Templi,
Otyus vt properet, se Cracia Sponsa curuli
Proripit, & sacris altaribus omnia seruat,
In grates effusa piæ. comitantur euntem,
Thuræq; dant Superis, docta cum Pallade Virtus.
Auolat & celeri pennâ, laturus in Orbem
Sarmaticum, decreta sacræ noua gaudia mitræ,
Tot socijs comitatus honor. sed Regia Phœbi
Præses, adoratum post Numen supplice voto,
Augustale suum repetens, carosq; penates,
Conuocat, Aonias Parnassi vertice Diuas,
Cum Pindo, Cyrrhamq; mouet, Cynthumq; fatigat;
Et quicquid sapiens Doctorum iure Senatus
Continet, & quicquid patrijs formatur Athenis.
Circumfusa dein, tot cultis mentibus, inter
Mitrigeras frontes, & amici numina Pindi;
Res, ait, est ex asse mihi gratissima tota;

H 2

Quâ

Quâ fruor ex animo, nec possum gaudia tanti
Dissimulare boni. rursus quod Fascia Mitræ
Reddita Craciacæ, suauissima vincula cordis
Nectat, & eximio cum PRÆSVLE, vinciat omne
Cor populi, cœtusq; sacri. Sed maxima rebus
Inde meis dulcedo sapit, fortisq; beatæ
Omen adest, genijs quod nunc communico vestris.
Nempè Virum noui, cûi gratia dulce IOANNIS
Nomen, & illustres generosi sanguinis ortus,
NAPÆCIA de stirpe dedit. MALACHOVIVS hic est,
Culmenis PRÆSVL, PROCANCELLARIVS, & cor
Principis, ac Patriæ; quem Virtus extulit ipsa,
Et pietas, & cana fides, & rebus agendis
Peruigil, ac prudens animus, meritusq; tot annis
Maiestatis amor, defensaq; vindice zelo
Causa DEI toties, & gloria PRÆSVLE digna.
In me quantus amor, propensio quanta fauoris,
Mens præfaga velut mirâ dulcedine spondet,
Omnia læta mihi, felicibus omnia votis,
Euentura puto; quod iam testatus abundè,
Excitat ad plausus animos, & viscera pandit.
Ergo per Aonias vt tanti PRÆSVLIS arces,
Dulce sonet nomen, quantum noua gaudia possunt,
Entheus in vobis calor, & sincera voluptas,
Arctoo coram testetur, & impleat Orbe.
Discessere choris, Parnassia Numina Diuæ,
Alternasq; vices, subito fecere canentum;
Puniceis cum iuncta rosis, se lilia passim
Infudere polo; quò candida Fascia nexus
Urgebat niueos; sub cuius stemmate dulci,
Diuarum pars læta canit. Si gratia cordis,
Si nectar, si mille faui debentur amoris,
Præsulibus Craci; quorum Iagelonica Pallas,
Nomina cara cedris inscripsit, & aurea seruat;
Attica tota Tibi MALACHOVI PRÆSVL, & omnis
Gratia

Gratia debetur, pro Teq; laboret Hymettus
Omnis, & Assyrijs desudent balsama guttis.
Fascia sic poscit. Tu rebus nempè togatis,
Tu Musis dilectus ades, Tu Principe voto,
Factus es in Vittæ, victoria læta Tuorum.
Excipit has voces, mox pars alterna Dearum,
Et canit ad cytharam. Phrygij si velleris olim,
Argo tulit gazas, cum victa Colchide Iason,
Heroumq; manus, laurusq; Pelasga rediret:
Hesperidum riguo si quæ fulsere metallo,
Mala triumphati spoliū fecere Draconis:
Gemmea diuinos si victæ Persidis arca
Mæonidas clausit: Pompei grandine totâ
Gemmarum, super arce Iouis, si fulsit imago:
Augusti Libycis si fulgida Vittæ trophæis,
Actiacos meruit plausus, & mille coronas;
Fascia Tu potior, Tu gemmea tota, DEOq;
Musis, & Patriæ carissima, vincula cur non
PRÆSVLE cum magno Tua cordibus, atque beatos
Imponas nexus? cur non Tibi gaza sit intus
Omnis amor? carumq; penu Tibi plena voluntas,
Palladis augustæ, studio deuincta perenni.
Inde vices aliæ resonant, & vota canentum.
Cœlitus ex alto candens via lactea Diuum,
Semita fulgoris, rutilum quæ fasciat Orbem,
Tota nitet; radio dum se collecta frequenti
Astrorum densat series. hæc candida cœli
Portio, si demonstrat iter, quo numina secum
Incedunt, niueiq; premunt vestigia lactis.
Te magis hoc candoris ebur, via lactea Regum
Fascia concernit; per quam MALACHOVIA Virtus,
Et pietas, & cura vigil Pastoris, amorq;
Publicus ad summum venit. Tu lactea nobis
Semita cœlorum, Tu Fascia cordis eburni;
Te super effusis candentia lilia nimbis,

Diuorumq; salus, & pax, & gratia caelo
 Descendant, nexusq; Tui super orbe morentur.
 Voce triumphali tandem chorus omnia claudit.
 Æthereos cingit stellatis nexibus orbes,
 Zodiacus vitæ fons, & nitidissima Vittæ
 Cœlorum, cuius medio patet orbita Solis;
 Quâ meat aurato curru, lucisq; quadrigas
 Calle regit solito; cùm declinare Planetas,
 Instabilesq; rotæ faciant, dubijq; meatus.
 Fascia Zodiacus cœli; sed Fascia vitæ
 Zodiacus nostræ, Doctorum vita, triumphus.
 Illa polo quotquot fert lumina, quotquot in Orbe
 Sidereos ignes numerat; cum PRÆSVLE Vittæ
 Tot gemmas vitæ, tot candida secula viuat.

